



Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv
Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

23. Amanguccij malè habetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

colendum reliquis P. Cosmo Turriano, qui mox Lusitanorum largitate templum in littore ad diuina mysteria posuit. Xauerius sub finem Octobris cum Joanne Fernandio Meacum iturus, Amanguccium prius septuaginta milliarium itinere diuertit.

23 Amanguccium opulenta inter Iaponias, & nobilis habetur ciuitas, 23
decem millibus domorum constans, agris fera, extenorum commerciis Amanguccij
locuples, diues vberate argenti fossili, regni caput, & sedes, totiusque malè habe-
zulici splendoris: sed æquè scelerum obstricta tyrannide, ac portento-
tarum libidinum, ut eam iure, Iaponia Sodomam dixeris. In ea Xauerius
petendæ ab Rege Oxindono venia posthabita cura, & benguolentiae
Bonziorum, bis quotidie se dat in publicum, & animoso præconio
Euangelium proponit; idem in alia urbis parte Fernandius feruenter
aggreditur. Curritur vnde ad eorum vocem, ciues, fama præcurrentes,
sciendi cupidos fecerat, nūm philosophiæ huius exoticæ arcana myste-
ria tanti essent, quæ ab usque postremis mundi limitibus debuissent in
Iaponiam portari. Gentis enim superbus genius, maximè nobiles, ijs per-
facile capiuntur, quæ grande aliquid generosæ gloriæ, & excelsum spi-
rant, eosque suspiciunt quibus illa incelle viderint, cuiusmodi erat quod vulgo de nostris & verè canebatur, ad hoc unum tam periculosa, & im-
mensa itinera, rot tempestates, & maria, ex Europa in Indiam, ex Indiis
in Iaponiam emensos, ut legis suæ dogmata traderent, eiusque sequaces
docendo singerent. Itaque vix erant in plateis auditæ, cum accerluntur
in domos nobilium, cum honore habentur, obseruantur, dicere rogan-
tut otiosæ, ac placidè de sua illa quam denunciarant lege: nam si auità,
& patria iudicaretur ab ipsis melior, data fide spondebant se illam com-
plexuros. At enim promissis, facta erant quādissimillima. Duabus
inter se compotitis legibus, hærebat ferè omnium animis hic sensus, abs-
que illa comparatione esse Christianam magis consentaneam rationi
(quæ illic suprema est regula de animæ rebus, causisque iudicandi,)
quod autem Christianam, sola veri bonique perspicientia haudquam
omnino perficit, ubi ad præcepta ventum erat, ad uxoris viuus in cōiugiis
honestatem, ad condonandas iniurias, ad execrationem fœdarum de-
formiumque libidinum, quæ illic ne vicio quidem ducebantur, tum vero
dogma Christianum, probum esto, sed tamen mordacis, & austeri sapo-
ris consuebant, nec iam instinctu sedatae rationis, sed mentis prauitate
lenociniis sensuum corruptæ abripiebantur. Erant nihilominus qui
Christo patienti condolerent, eiusque narratis cruciatibus, & ignominia
effusæ flerent. Erant è contrario multò plures, qui ea pro fabulis habe-
rent, ac luderent: ab his sparsum cum esset, de Xauerio & Fernandio,
esse homines circumforaneos, & illuc ad venditanda mendacia, & nugas
venisse; quoties prodibant, toties puerorum, & plebeculæ fax à tergo
iis erat, diceris turpibus, lapidatione, conuictis, & luto incessens. En-
ex Europa Bonziorum par nobile! en viros egregios ex orbis confinio
huc delatos, ut persuadeant scilicet, salutem nos consequi, nisi eorum

ex

176 De Vita & gestis S. Franc. Xauerij,

ex lege vixerimus non posse. En qui vetant præter vnum credi , & coli Deum ; præter vnam haberi vxorem , & his similia occinebat ; quibus in utramque partem ad regem delatis , rem per se statuit explorare , sibi hos iubet , qui sint interrogari ? vnde nam gentium ? cur illuc venerint ? conditione illorum comperta , auditio que consilio suscepit ex Europa , in Iapones nauigationis , ad eum eiusque populos æternos exemptos exitio , in beatitatis æternæ viam inducendos , quod vna poterat veri Dei cognitio , & legum eius obseruatio præstare ; legis illius , subintulit Rex , sumam , rationesque mihi edicite.

24

Coram Rege
sed frusta
Christum
prædicet.

Iaponum , conditi orbis primordia repetit , quæ ad hoc temporis illic nouerat nemo ; tum egit de animæ immortalitate ; de fine hominis ultimo & eiusdem lapfu ; de æternitate præmiorum & suppliciorum ; deque aduentu liberatoris magni , qui & meritis pœnis eripuerit reos , & amissiis iis dona , & præmia redderet : Voltu rex composito , & graui cum se ita dictis attentum præbuisset , ut ne verbo quidem interiecit sermonem turbaret , nullo utramvis in partem approbantis , aut improbantis dato indicio , illos humanissime dimisit . Nempe ille de cœlo benefici , & præpotentis asperitus oculi , sanando Amanguccio destinatus , nondum illuxerat qui quarto post mense ad Apostoli redditum illuxit , Deo urbi salutem , serui sui caritate , & patientia interim præparante . Tum quidem illic cum frusta deinceps futurus videretur , Deo inspirante Meacum se contulit , haud sibi aliquid inde melius spondens quam Amanguccij , verum ut illuc aditum panderet hominibus de societate , eius in futurum vestigia pressuris , & pedum cruenta laceratione , calles iis signaret patientia inuicta , qua tam ærugo in itinere arserat , & duraret .

25

Meacum
quæ & quāta

Iamascri regni Metropolis , & Iaponici sedes imperij Meacum , situm nocta est infelicissimum ; procul nempe à mari ad Aquilonem versa , macilento , & syluo solo , cincta montibus præaltis , frigori proinde illorum asperrimo vehementer obiecta , cui depellendo , ægre ligna ad focum suppeditunt ; victu verò adeò tenui , ut extra legumina , & olearia vix quicquam vulgus adhibeat . Magnificum igitur Meaci nomen (quod rem significat visu dignam) nec amoenitatem nec diuitias innuit , sed aulae splendorem , & multitudinem ciuium innumerabilem . In regna quatuor eius portigitur ditio Iassumi , Tambæ , Tanocuni , & Vomi , ex quibus Tense , quam vocant , imperium constat . Supersunt murorum veterum hinc sparsæ , velut cadaveris immensi reliquiae , ex quibus nonnulli , Meaci antiquæ amplitudinem metiuntur , & volunt in viginti milliaria protensam , latam noverim ; domorum millia complexam trecenta , sed quæ ultra vnam contignationem non surgerent , quod utrumque ad verum accederet , si suburbiorum comprehendant alas ; sed longè certius , ex tria hodieque illorum parœnia , Meacum demptis suburbis ægræ centum millia ædium habuisse ; inter quas aliquot centena Palatiorum , & cœnobiorum ,